



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Praelectionum Theologicarvm
Tomus ...**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Difficultas IV. De aliorum Definitionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82982)

DIFFICULTAS IV.

De aliorum Definitionibus.

EXPLICAT Primò S. Thomas tertia parte, q 50. a. 2. *Quòd Sacramentum sit Signum rei sacre sanctificantis homines.* Hæc descriptio attendit solum ad hoc; quid vi nominis principalis importet Sacramentum, vi enim nominis importat principaliter Signum. Ex eo etiam definitio S. Thomæ non est plena: quia multa erant signa v.g. transitus maris rubri, significantia rem sacram nempe gratiam baptismalem, quæ tamen non erant Sacramenta; hinc prædictæ definitioni addit Amicus ly Præcticum; sed hoc non addidit S. Thomas; deinde ly Sacre videtur superflue: nam si sanctificat hominem, sacra res est.

Dubitari etiam posset, etiam posito quòd attendatur hic ad solum nomen Sacramenti in hac definitione, in quo sensu accipi debeat ly Sanctificantis; an scilicet Genitivus ille sumi debeat intransitive an transitive; intransitive sumitur, si ly Sanctificans, applicetur ad ipsum Signum & non permittatur transire ad rem sacram; & eo casu hic sensus definitionis erit; Sacramentum est signum rei sacre, quòd signum nos sanctificat; transitive autem sumetur, quando ly Sanctificantis, non ad Signum spectabit, sed ad rem sacram; ita ut sensus definitionis sit; Sacramentum est Signum præcticum rei sacre, quæ ipsa nos sanctificat. Deberet sumi in sensu transitive ex mente S. Thomæ; quia aliàs dici debuisset; quòd Sacramentum sit signum rei sacre sanctificans homines; deinde in Responsione ad primum ibidem, negat Creaturas sensibiles, esse Sacramenta, quamvis significant Sapientiam & bonitatem Dei, quia eam significant, ut in se ipsa sacra est; non autem in quantum nos per eam sanctificamur; ergo supponit quòd res sacra, quam significant Sacramenta, in tantum significatur, in quantum nos illa sanctificat; & ad tertium expresse ait; Sacramentum proprie dici, quòd ordinatur ad nostram sanctificationem.

Tuetur definitionem S. Thomæ Perez, quòd sit adæquata, docetque sufficere ut ponatur ly Signum non ponendo causam: quia Sacramentum habet virtutem donandi gratiam, tanquam locutio quædam, seu Signum exhibitum à Deo; cum autem omnis locutio Dei sit vera, evidenter colligitur Sacramentum, esse causam donandi gratiam, quin tamen necesse sit in definitione ponere, quòd illud Signum sit talis causa, inferatur enim ex illo Signo, vis cauſandi: superflue autem ponitur in definitione tanquam pars illius, quòd ex alio posito in definitione, inferatur.

CONTRA est: Tum quia omnes locutiones, quæ habentur in Scriptura sunt veræ, neque ta-

men ex hoc illorum prædicato colligitur, quòd causarint ea quæ dicebant, sed poterat remitti causatio alteri; ergo etiam quantumvis ponentur, Sacramenta esse locutio Dei vera, non sequitur quòd jam illa ipsa causent; quòd ipsum in hoc resolvitur: quia ad rationem locutionis veræ non requiritur, ut locutio ponat id, quòd loquitur, sed ut dicat conformiter Objecto; potest autem esse conformitas cum objecto, quòd est gratia, etiam si illa gratia, non ab illa locutione, sed aliunde ponatur. Tum quia aliqua hic assumuntur quæ ulterius probanda fuissent, nego enim Sacramenta habere Rationem locutionis divinæ, sed potius sunt Objectum locutionis. Nego ex eo quòd Sacramentum sit Signum, inferre vim cauſandi signatum: quia id nec proficiscitur ex ratione Signi communi; fumus enim est signum & tamen non cauſat ignem; nec ex ratione signi talis; quia hæc non potest ostendi, quomodo in se, & de se, involvat rationem causæ; denique si perpendatur bene natura rationalitatis, inferatur ex illa animalitas, unde etiam à Rationalitate datur subsistendi consequentia ad animalitatem, & tamen ex hoc titulo non sequitur, quòd animal non debeat poni in definitione hominis; ergo etiam quantumvis ex ista ratione Signi inferretur Cauſativitas, non sequeretur ex eo præcisè debere jam ablegari à definitione Sacramenti Rationem Cauſativi. Est quidem verum quòd ea, quæ inferuntur tanquam inclusa in ultimo genere & ultima differentia, quæ item habent rationem posterioris, non debeant poni in definitione; sed nego quòd ita comparentur inter se Signum & Cauſativum. Tum quia in definitionibus Sacramentorum attendendum ad phrasès Conciliorum & Patrum, qui non solius præcisè Signi meminerunt, imò illius locutionis nemo.

EXPLICAT Secundò Lugo. *Quòd Sacramentum sit ceremonia sensibilis, quæ usu suo sanctificando subjectum, significat gratiam internam cuius est causa.* Hæc explicatio

NON SATISFACIT: quia supponit Sacramenta vetera fuisse causas gratiæ, quòd negavimus; significabant quidem gratiam illa Sacramenta, sed hoc illis est commune cum transitu v.g. per mare rubrum, sed non significabant sacramentaliter, quia non cauſative, ut jam dictum. Quando autem dicit quòd Sacramentum sit signum rei sacre, nos perfecte sanctificantis, aliquam in sui usu conferens suscipienti sanctitatem; hæc jam accedit magis ad eam quæ defenditur definitionem; sed, ut dictum inter alia, superfluit illud, Sacre nos perfecte sanctificantis; si enim dicas quòd nos perfecte sanctificet, hoc ipso intelligitur res sacra.

EXPLICAT Tertiò Perez.

PONIT; Primò duas Respub. viatorum humanas, sacras, habentes Cerimonias proprias

* (C) 3 divi-

divinas, à Deo institutas. Prima est perfecta, hoc est sufficiens ad omnes fines & dona supernaturalia; constat enim Optimum definiri per sufficientiam; unde illa habet supremum Sacerdotem, Optimum inter omnes possibiles; habet oblatam sacrificio hostiam, inter possibiles Optimam, quod utrumque competit Christo. Secunda Respub. est, etiam quidem ordinata ad finem supernaturalem, sed nondum habens sacerdotem ex possibilibus Optimum, nec hostiam, &c. sed est desiderans & expectans illa Optima, & suis ceremoniis reipub. perfectam adumbrans, & præfigurans.

PONIT Secundò. In utraque hac reipub. esse ceremonias quasdam divinas seu ritus & symbola, quibus Deus loquitur ex modo proprio cuiusque reipub. loquitur enim per homines humano modo agentes.

PONIT Tertiò. Quòd ceremoniæ divinæ communiter dividantur in Sacrificia, Sacramenta & sacra seu Observantias; quod attinet ad Sacramenta & Sacrificia, illæ possunt appellari ceremoniæ divinæ personales, quia earum munus est designare personas pro reipub. sacra; nam Sacrificia designant Deum, quem colere Respub. debet, Sacramenta autem designant personam in cultum Dei deputatam. Sacra autem & observantiæ, possunt appellari Cerimonie non personales sed Cerimonie reales: nam earum officium non est, designare personas, sed res aut actiones; ut deputantur altaria ad cultum Dei: observantiæ autem versantur circa actiones decentes, sive in victu, sive in vestitu, &c.

PONIT Quartò. Hæc omnia convenire in ratione divinæ ceremoniæ seu observantiæ, solumque restat ponere differentiam, quæ sit communis novis & antiquis Sacramentis, faciatque differre, à Sacrificiis & observantiis.

PONIT Quintò. Differentiam hanc ex S. Thoma; quod sit Signum rei sacræ ut sanctificantis Personam signatam, & habentis rationem finis ipsius Signi; suam autem paraphrasin seu definitionem sic ponit; Sacramentum est symbolum legitimum Reipub. sacræ, humanæ, perfectæ sive imperfectæ designativum, pro ea, personæ creatæ, humanæ, sacræ, significans se habere virtutem donandi illâ designatione gratiam, vel donatione de præsentis & ex opere operato, vel donatione de futuro, præfigurativâ præsentis, exhibitum à Deo loquente & pacifcente cum homine, per hominem, modo humano. Brevius autem illam compingendo, dicit; quòd Sacramentum sit ceremonia divina personalis, donativa gratiæ.

NON SATISFACIT Primò. Tum quia ipsa Respub. præfens viatorum non est quid optimum; melior enim est reipub. Comprehensivum; & si ipsa non est quid optimum, nec singula in illa sunt quid Optimum; dictum enim alibi, Deum non semper facere optimum, nec

necessitari ad faciendum optimum; & in particulari est quidem Summus Sacerdos Optimus, sed non optimi subordinati; melius item esset, imò & optimum, ut unusquisque litans, esset hypostaticè unitus, vel saltem confirmatus in gratia, aut ad minimum prædestinatus; hostia ipsa secundum quod continet Christum importantem Personam divinam, est optima, sed respectu multorum non optima, respectu v. g. gratiæ habitualis in Christo positi, quam secum affert; nec est optima respectu humanitatis, hæc enim non est quid infinitum: nec optima respectu accidentium; melius enim esset, si v. g. servatâ gustabilitate panis ad salvandam conversionem, addendo illi si volueris quantitatem, si inquam, alia accidentia transaccidentarentur in supernaturalia accidentia, & cetera similia. Tum quia ipse Perez cum voluisset defendere definitionem S. Thomæ, assumpsit phrasen & sensum longè distinctos à S. Thoma. Tum quia illa prima definitio nimis est longa.

RESPONDET Perez, hanc Objectionem esse ridiculam & putidam, & longitudinem definitionis non esse vitiosam, quando causa longitudinis, est copia rerum contentarum in re definita, & inopia vocum clarò explicantium combinationem illorum prædicatorum; sicut nec Mathematici vitium est, pluribus notis arithmetice uti, quando numerus est tam magnus, ut non possit paucioribus notis explicari, talesque definitiones non rarò in Mathematicis reperiuntur.

CONTRA. Tum quia apparet suppetere voces abbreviativas & expressivas illius definitionis; defacto enim Perez ipse, illam, ut vidimus, abbreviavit. Tum quia ea quæ afferuntur de Mathematicis non convincunt: nam etiam in Mathematicis est error scribere, tot unitates distinctim, quot continentur in numero; quantumvis illæ revera contineantur; sed fit recursus ad cifras; ergo etiam debebat facere recursus definiens, ad solam illam, quam potuit ponere, abbreviatam definitionem. Tum quia docti intumant omnem definitionem debere esse brevem; & ratio est: quia definitio est obiectiva essentia rei, quæ omnis pluribus non fiat, nisi ultimâ differentia & genere proximo, quæ non sunt multa, sed unum ultimum genus, & una ultima differentia; cumque etiam in præsentis genus ultimum & differentia ultima non nisi ex Signo causativo & Sanctitate formetur, per illa sola debuit formari definitio; breviter, hoc quod est, est essentia in indivisibili consistens, adeoque non in multis, consequenter & definitio non debet stare multis.

NON SATISFACIT Secundò. Textus ille definitionis longior prout formatur. Tum quia superfluit ly legitimum additum Symbolo; si enim legitimum non est, Symbolum non est: ad eum modum quòd si aliquid Scholasticè causa est, legitima est; si legitima non est, causa non est.

Tum

DIFFICULTAS V.

De quibusdam Illationibus.

EX allata definitione Sacramenti ut sic, formandæ sunt illationes, quas etiam conformiter ad sua principia alii faciunt, in particulari Perez.

INFERES Primò. Cur Sacra Scriptura non sit Sacramentum proprie? Rationem reddit Perez: quia prima particula definitiva Sacramenti est esse Symbolum, Ly autem Symbolum significat, Signum, illud, non esse consistens in nudis verbis, sed etiam constans aliquâ re, quæ sua naturali similitudine rem significatam repræsentet, ut solent Emblemata; jam autem Sacra Scriptura, licet multa narret, quæ possunt esse Symbola, ipsa tamen in nudis verbis consistit: non est ergo Symbolum proprie dictum. *Hec Ratio*

NON SATISFACIT. Nam si Symbolum accipiat hîc pro signo, & Signum pro significativo, non tamen est ex eo illud Signum & significativum, quia naturali similitudine rem significatam repræsentat; cum enim hæc sint ad placitum à Christo adhibita, hocque placitum sit in illis principale, apparet quod primario ratio Significativi, non desumat illic, à naturali significatione. Et certè ratio Signi, est in Sacramentis determinata: quia ablutio significat mysticum nitorem, sed cur non significabit vitam ita defluere, ac aquam, omnes enim sicut aquæ dilabimur. Unctio significat corroboracionem, sed cur non significabit sanctificationem ut fiat moriturus odor bonus Christo &c. ergo apparet hæc non habere determinatam significationem naturalem.

RATIO ergo est, quod Scriptura sit signum & quidem Sacrum: quia locutio divina, non tamen causativum, deputatumque ad causandam sanctitatem. Rursus: quia Scriptura Sacra, & aliæ humanæ, non differunt nisi speciali principio, sæpe enim objecto non differunt, ut si aliquis Ethnicus idem scribat, quod Scriptura Sacra, sed diversitas est, secundum speciale principium, quia videlicet Sacra Scriptura confecta est ex peculiari instinctu & assistentia Spiritus Sancti, in genere causæ illuminativæ & directivæ, concurrentis; si autem Sacra Scriptura & humana non differunt nisi principio, non apparet, per quid Scriptura extrahatur ad rationem Sacramenti, de quo hic.

INFERES Secundò. Cur serpens æneus & transitus maris rubri non sint Sacramentum? Rationem reddit Perez: quia non est Symbolum legitimum; id est, lege perpetuâ constitutum, ut sæpe repetatur uniformiter in variis personis. *Hæc ratio*

NON SATISFACIT Primò. Urgendo hoc ipsum quod sibi opposuit Perez ex Lugo. Non est de ratione Sacrificii, repetibilitas uniformis

*(C) 4

legi-

Tum quia sine ullo circuitu de repub. sacra humana, de Persona creata humana, suffecisset dicere ly fidelis, si enim fidelis est, in Ecclesia est; superfluitque illud personæ creatæ humanæ; sufficit enim dicere personæ humanæ; si enim humana est, creata est: unde licet sit Christus homo, non tamen habet personam humanam; ergo apparet titulum personæ humanæ, involverationem creatæ. Tum quia nulla definitio debet per divisionem procedere; sicut non bene definiretur animal per substantiam, quæ est brutum vel homo; unusque modus sciendi non debet confundi cum alio modo sciendi; alius autem modus sciendi est definitio, alius divisio: quam divisionem inserit definitioni Perez loquendo de gratia præsentis vel de futura, loquendo de perfectè vel imperfectè designativo. Tum quia non apparet quid velit ille terminus, Deo loquente per hominem; si enim supponat pro puro homine, non competet definitio Sacramentis novæ legis, quæ à Christo instituta; si non de puro homine, non erit tribuenda Circumcisionis institutio Abrahamo, & innovatio Moyfi.

NON SATISFACIT Tertiò. Etiam attendendo ad definitionem prout est jam abbreviata. Tum quia illud personalis, habet difficultatem; non apparet enim quomodo Sacramentum Eucharistiæ, sit cerimoniam personalis, dum extrinsecum, est tamen Sacramentum; ly etiam donativum gratiæ, non est secundum phrasim Conciliorum, quæ attribuit Sacramentis continentiam & causam non autem donacionem. Tum quia quamvis Sacramentum Baptismi, Ordinis, Unctionis habeat hanc designationem Personæ in partem Reipub. sacre humanæ, sed quomodo id habebit idque plene, Sacramentum Confessionis, præcipue venialium. Sacramentum item Matrimonii, sine quo redduntur fideles personæ Reipub. sacre humanæ. Tum quia ly illud Personalis, supponit pro designatione facta Personæ, quæ fit à Sacramentis, estque hæc particula distinctiva & essentialis; & tamen Tridentinum designationem hanc non ponit pro essentiali, admittentesque designationem hanc in Sacramentis, docet non admittere Sacramenta, sed recurrit ad continere & significare gratiam; ita enim Trident. Sess. 7. Can. 6. habet; *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint, &c. & notæ quedam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.* Non ponit quidem Perez in hac sola designatione Personæ, stare Sacramentum, ponit tamen pro differentiali & essentiali, cum tamen hoc, videatur loco citato non agnoscere Tridentinum.